

octavo, dicit non posse hoc facere sine peccato mortali, quia non gaudet beneficio, seu indulgentia concessa omnibus fidelibus; nam in illo capite excluduntur ab illa omnes religiosi quorum instituta obligant ab abstinendum a carnibus, seu ad jejunandum sexta feria, et ideo præceptum Ecclesiæ abstinendi a carnibus sexta feria, rigore obligat hujusmodi Episcopum. Idem vero Cajetanus in citato opusculo negat illud esse peccatum mortale, et ait Sot. Cajetanum ibi cordatius mutasse sententiam, quod ipsemet Cajetanus significavit in ultimis verbis illius opusculi, dicens: *Tu lector memento scripta nostra, de hujus questionis materia in commentarii super 2. 2. ad hæc referre subtilius discussa.* Itaque dicendum est, ubi abstinencia a carnibus, vel jejunium, solum est ex regula, vel præcepto ejus, et non ex speciali voto, Episcopum posse licite eo die carnes comedere, quia jam ipse regulari observantia non est astrictus, et textus solum excipit eos qui aut voto, aut regulari observantia sunt astricti; unde Carthusianus, si fiat Episcopus, licite poterit carnes comedere eo die; religiosus autem de ordine Minorum, etiam factus Episcopus, non poterit, quia specialiori voto obligatur, quod semper durat.

## CAPUT XVIII.

AN EPISCOPUS REGULARIS GAUDEAT GRATIAS SUÆ RELIGIONIS, ET QUÆ OBLIGATIONES MANEANT IN RELIGIOSO FACTO CARDINALI.

1. *Propriore parte tituli arguitur negative. — Arguitur affirmative.* — Duo in titulo posita supersunt breviter inquirenda circa hanc materiam. Primum est, an religiosus factus Episcopus gaudeat privilegiis et indulgentiis concessis suæ religioni. Ex dictis enim videtur sequi pars negativa, quia Episcopus jam non tenetur oneribus religionis; ergo nec privilegiis et commodis gaudere debet; item hæc privilegia conceduntur intuitu religionis; sed Episcopus jam non est membrum illius religionis; ergo nec communicat cum ipsa in privilegiis et gratiis. Propter hæc quidam absolute et sine ulla limitatione excludunt Episcopum regularem a participatione omnium gratiarum suæ religionis; nam cessante causa fundamentali privilegii, cessat privilegium, ut in materia de legibus tractavimus, et notat glossa, in cap. *Ita nos*, 23, q. 2, verbo *Cessaverint*; Decius, in cap. *Cum accessissent*, de Constitutionibus, n. 15. Sed ex eodem funda-

mento potest contrarium suaderi, quia privilegia conceduntur in favorem status religiosi, qui non tantum est in toto corpore mystico religionis, sed etiam in singulis personis ejus; sed hic status vere manet in Episcopo, non solum in genere, sed etiam in tali specie, ut ostensum est capite præcedenti; ergo in illo non cessavit causa et fundamentum privilegii aut indulgentiæ; ergo nec gratia ipsa cessavit, quia non est specialiter revocata, ut supponimus, nec sublatum est fundamentum ut per se ipsa cesset.

2. *Decisio per distinctionem.* — Quapropter distinctione mihi utendum videtur, nam aut gratiæ et privilegia concernunt corpus religionis, ut sic, et favorem ejus, quoad jurisdictionem, administrationem temporalium bonorum, et alia hujusmodi, aut respiciunt singulas personas. De prioribus, non videtur dubium quin Episcopus illis gaudere non possit, ut convincit prior ratio facta; talia enim privilegia non fundantur in toto statu religioso personali, sed in vinculo et conjunctione ad hoc corpus, cui per se primo conceduntur, et ad illius usum et commodum ordinantur. De posterioribus autem iterum distinguendum est, quia vel usus talium gratiarum aut privilegiorum, ab Episcopo usurpatus, esset onerosus ipsi religioni, vel non. Quando privilegium concedit gratiam, qua persona religiosa gaudere potest in commodum suæ animæ, vel corporis, sine onere vel gravamine suæ religionis, profecto non cessat propter statum Episcopalem. Sicut enim diximus obligationes et vincula substantialia religionis, quæ non repugnant muneri Episcopali, in ipso, seu cum ipso durare, ita etiam ratio postulat ut gratiæ et indulgentiæ status religiosi, quibus potest Episcopus frui sine incommodo suæ religionis, in ipso etiam perseverent, et ita omnes rationes pro utraque parte propositæ hanc assertionem persuadent, quia verisimile est solum religiosum statum quoad substantiam ejus esse sufficiens fundamentum et causam talium gratiarum, et quoad eas retorquetur optime illa ratio, quod qui retinet religionis onus, debet etiam retinere favores ejus.

3. At vero, si usus talium gratiarum redundet in onus religionis aut monasterii, admitendus non est, quia semper censetur hujusmodi favor principaliter concessus in favorem religionis. Et quoad hoc procedit quædam declaratio Sixti IV, quæ refertur in monumentis Minorum, fol. apud me 149, concess. 365, quæ sic habet: *Ne ex habilitationibus ad beneficia,*

*rum facultate, quod etiam post illa obtenta, in locibus dicti ordinis residere, cameras habere in illis, et in generalibus capitulis fratrum eorumdem Prædicatorum et Minorum ordinum vocem activam et passivam habere, ac privilegiis, favoribus, gratiis, et Indultis concessis ipsorum ordinum professoribus gaudere possint, præfatis ordinibus, et illorum professoribus gravamen inferatur: eisdem Motu et auctoritate decernimus, hujusmodi habilitationis litteras intelligi, et interpretari debere, ut fratres ipsi quibus concessæ sunt, vel concedentur in posterum per Sedem Apostolicam, postquam aliquod beneficium adepti fuerint pacifice, aut pro Capellanis in aliquibus Ecclesiis cæperint deservire, concessionibus prædictis, prout vocem activam et passivam, residentiam in domibus dictorum ordinum, ac retentionem dictarum domorum, camerarum, et alia quæ ordinum prælatorum sunt concernentia, de eorum ordinum Prælatorum consensu, duntaxat gaudere possint, et non alias, neque alio modo. Idem statuente de promotis ad cathedrales, etiam titulares appellatas Ecclesias, et alias dignitates ecclesiasticas.* In quo Indulto expendo Pontificem non absolute excludere hos Episcopos a participatione gratiarum, sed cum duplici limitatione: una est, si illa sit eum onere religionis, quæ significatur in illis verbis, *prout vocem activam, etc.*, usque ad illa, *quæ ordinum Prælatorum sunt concernentia.* Alia est, ut illa non sit sine consensu Prælatorum; unde colligitur, de consensu Prælatorum etiam posse frui his gratiis concernentibus aliquo modo religionem ipsam, et consequenter ad fruendum aliis gratiis, quæ corpori religionis nihil obstant, Prælatorum consensum necessarium non esse.

4. *Resolvitur secunda pars tituli quoad paupertatem. — Quoad obedientiam. — Quoad alias observantias regulæ. — Quoad habitum. — Excipitur assumptus ad Papatum.* — Aliud dubium est, an omnia, quæ diximus de Episcopis, eodem modo locum habeant in Cardinalibus religiosi, etiamsi Episcopi non sint. Ad quod breviter dicitur, eodem modo omnia accommodanda esse, quia religiosus Cardinalis vere religiosus manet; eadem enim est de illo ratio, vel certe major, quia ex vi illius dignitatis non ita constituitur in statu perfectionis, sicut Episcopus. Quare vinculum paupertatis retinet, et incapax est proprii domini, et ideo sine dispensatione testari non potest, ut recte dixit Baldus, in Authentica *Licentiam*, de Episcopis et Clericis. Vide Martinum Laudensem,

in tract. de Cardinalibus, q. 58 et 59, et Andream Barbatiam, de Præstantia Cardinalium, 1 p., q. 3; et Hieronymum Manfredum, de Cardinalibus, q. 133. Unde quicquid acquirit post talem dignitatem, Ecclesiæ suæ videtur acquirere; semper enim habet alienjus particularis Ecclesiæ titulum, et regimen; alias acquireret Ecclesiæ Romanæ, seu Apostolicæ Sedi. Quod vero ad obedientiam attinet, clarum est soli Pontifici immediate subesse, retinet tamen idem obedientiæ vinculum. De obligatione vero ad alias observantias regulæ eadem ratio exemptionis est, quia, juxta institutionem Ecclesiæ, per illam dignitatem æque separatur quis a corpore religionis atque Episcopus. Habitum tamen deferre debet, ita enim observat Ecclesiæ usus, et favent jura supra citata. Solum religiosus factus Summus Pontifex hac obligatione liberatur, quamvis substantiam status religiosi non amittat, ut in superioribus, tractando de obedientiæ voto, tactum est.

## CAPUT XIX.

UTRUM RELIGIOSUS PROFESSUS POSSIT AD BENEFICIUM, VEL DIGNITATEM INFERIOREM EPISCOPALI TRANSIRE, ET QUO JURE TUNC OBLIGETUR?

1. *Prima suppositio, professioni religiosæ esse non repugnare beneficium ecclesiasticum. — Id probatur quantum ad jus spiritualium ministeriorum. — Item quoad commoda fructuum temporalium.* — Suppono imprimis religiosum, ex vi professionis suæ, non esse incapacem ecclesiastici beneficii, etiam curam animarum annexam habentis. Sunt quidem multa antiqua decreta prohibentia ne monachi clericorum officia populis celebrare aut ministrare præsumant, quæ congruit Gratianus, 16, q. 1; verumtamen illa decreta loquuntur primo secundum antiquam consuetudinem monachorum qui laici erant, et ex vi suæ professionis clerici non erant, neque ad hunc finem instituebantur. Deinde non omnino excludunt monachos ab hoc ministerio, tanquam inhabiles, vel ad ordines, vel ad beneficia, aut ministeria ecclesiastica, sed prohibentur ne suo arbitrio et usurpato jure his ministeriis se ingerant, nec sine debita superiorum facultate ad illa assumantur. Nunc autem solum asserimus professionem religiosam per se et vi sua non reddere personam incapacem ecclesiastici beneficii, quod declaratur in hunc modum; nam duo sunt in beneficio ecclesiastico distinguenda: primum est spirituale jus ad tale ministerium,